13

THESES ALIQVOT LOGICAE, ETHICÆ, PHYSICAE, SPHAERICAE,

Quas,

Adolescentes ad Lauream Magisterialem, in Collegio *Leonardino* Aspirantes, In Publica Disputatione, Deo duce, in Scholis *Mariani Academiæ* Andreanæ *propugnaturi sunt*, Die Calendas Augustas, anno salutis humanæ. 1630.

Præside Iacobo Mercero.

Dictum Heracliti, *Omnia secundum litem fieri.*

EDINBVRGI,

Excudebat Ioannes Wreittonn. 1630.

EX BIBL. UNIV. EDINBURGEN.

NOBILISSIMO

AC OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTI,

D.

GEORGIO STEWARTO,

NOBILISSIMI, AC ILLVSTRISSIMI MORAVIÆ COMITIS &c.

Filio, amantissimi condiscipuli, S.

THESES haste (*Nobiliss. Dom.*) pro recepta jam consuetudine publici juris facturi, ut in omnium manus pervenire possint, qui scholastica velitationi, ad quam propositæ sunt, vel spectatores adesse, vel actores interesse non dedignarentur: Neque multum, neq; diu deliberavimus, sub cujus umbra eas primam lucem ferre vellemus: Nam sive patronus nobis deligendus esset, qui & propter singularem in nos benevolentiam vellet, & non vulgarem harum rerum scientiam posset, hoc nostri ingenii & eruditionis specimen, à malevolorum unguibus, ore, dentibus, tueri, quibus homines cætera inertes, aliorum industriam, per summam secordiam carpunt, vellicant, sugillant: Sive quærendus esset, cujus ea in nos merita extitissent, quæ cum alia ratione expendere non possemus, hac saltem animum rependendi cupidum notum faceremus: Nemo tibi (*Nobiliss. Dom.*) conferendus, nedum præferendus videbatur, cui vel tanquam ejus, quem tibi debemus, honoris signum, vel amoris, quo te prosequimur, pignus offerremus: Nam si, ut verissime dixit Philosophus, HONOR EST VIRTUTIS PRÆMIVM: Ut omittamus nataliam splendorem, eximiam ingenij ad bonas artes, & literas capessendas, felicitatem; aliasq; naturæ & fortunæ dotes, quas vulgus, qui parum supra belluas sapit, solas suspicit, & admiratur, maximus certè tibi honor debetur; nullum enim esse putamus,

in cujus animo jam teneris annis, virtus altiores radices egerit, mores vulgaris; sed quæ cum vera nobilitate maxime est connexa, modestia, liberalitas, mansuetudo, animi robur, & longe supra tuos annos prudentia, & constantia: Quarum omnium non tantum fragrantissimos flores, sed suavissimos fructus, quotidie, non metus præceptorum expressit, sed animus optime affectus, sponte sua produxit: Nam quæ, non honestatis amor, sed dierum imperia, officia extorquent, ea fere vacillant, nec admomentum sibi constant, sed ubiq; sibi dissimilia comperiuntur; at tu, cum liberalissime, & absq; omni castigationis metu semper haberevis, nihilne vel perversi ingenij indicium, unquam dedisti, nunquam a recta probitatis calle declexisti. Quamobrem suavissimis tuis moribus, ita nos omnes in tui amorem pellexisti, vt nihil te charius nobis unquam exstiterit, nec dum existat; quod hoc exiguo munere, majoris inopia, apud omnes testatum volumus. Accipe igitur (Nobiliss. Dom.) eodem quo offerimus animo, hoc est benevolo, hilari, candido, testem & pignus, perpetui in te nostri amoris, & observantiæ. DEVM Opt. Max. supplices comprecamur, vt simul tu & nos ita vitam reliquam instituamus, ac ita porro stadium virtutis decurramus, vt te neq; nostri commilitij unquam puniteret, neq; tuorum commilitonum pudeat. Bene vive & vale NOBILISSIME DOMINE.

Tui quondam amantissimi condiscipuli,
nunc addictissimi servi:
Laureæ magisterialis in Collegio LEONARDINO *hoc anno candidati.*

Andreas Melvinus.
David Ouchterlonius.
Georgius Grahamus.
Georgius Purvesius.
Iacobus Colvillus.
Iacobus Rochæus.
Ioannes Patonus.
Patricius Grahamus.
Patricius Melvinus.
Robertus Noraius.
Thomas Wilsonus.

THESES LOGICAE.

I.

DISCIPLINÆ omnis, sive ad efficiendum, sive ad agendum, sive ad contemplandum comparata est, finis proximus & intimus est cognitio, & in memoria conservatio.

1. Quamobrem eo ordine tractandæ, quo & facillime addiſci, & firmiſſime in memoria hærere poſſunt.

1. Activæ, & effectivæ ordine reſolutivo optimè traduntur, contemplativæ compoſitivo ſolum.

3. In iis docendis ſemper facilioris cognitionis, nunquam ordinis naturæ habenda eſt ratio.

4. Primum principium in omni diſciplina, eſt definitio ſubjecti; in operatricibus diſciplinis, quod cognitionis ſubjectum eſt, operationis eſt finis.

II. Philoſophia munus eſt, animum tum ad recte contemplandum, tum ad agendum inſtruere.

1. Ergo Hippias ille, non eo magis fuit Philoſophus, quia & calceos, & ſtrigiles, & lecythum, a ſe facta ſingula oſtentavit.

2. Et Phyſica ante Ethicam addiſcenda.

III. Inſtrumenta Logica, ſunt Idea quædam in animo collocata, e diſciplina Logica genita, ad quarum exemplar, in primis notionibus quibuſvis, ſimilia inſtrumenta formamus.

Eſt ergo notionum Logicarum duplex conſideratio, vna qua ſine vllo ad primas reſpectu, in animo reſidere intelliguntur, qua etiam ratione vniverſales ſunt: altera, qua in primis ſpectantur: ſecundum quam conſiderationem omnes

nes ſingulares ſunt: ſecundum hanc. in mente, pro ſingulis intelligendi actibus, de novo generantur: ſecundum illam, tanquam habitus, animum ad recte intelligendum diſponunt.

IV. *Nulla prædicatio denominativa eſt eſſentialis.*

1. Ergo prædicatio *qualis*, aut *colorati* de *albo*, non eſt denominativa, neque ſemper denominativum prædicatur denominative.

2. Differentia non ſpeciei, ſed generi attribuitur denominative.

3. Nec ſpeciei eſt qualitas, ſed generis.

4. Nec de ſpecie prædicatur in *quale*, ſed adjecto genere.

V. *Quot modis figura prædicationis dicuntur de primis ſubſtantiis, tot modis ipſum eſſe. lib. 5. Metaphyſ. Text. 13.*

1. Ergo decem ſunt Categoriæ, & decem genera generaliſſima, omnia vnivoca, omnia realia.

2. Non neceſſe eſt, vt Categoriæ omnes inter ſe diſtinguantur, vel realiter, vel formaliter.

VI. *Dialectica non tam conſiderat res, quam rerum notiones, & quatenus aptæ ſunt vt prædicentur, & ſubijciantur, & pront in ijs fundantur ſecundæ notiones.*

1. In Categoriis, vt ab *Ariſt.* conſiderantur in Logicis, non tam ſunt res, quam rerum primæ Notiones, quæ nihil aliud ſunt quam rerum ipſarum ſpecies, ſeu imagines, in intellectu objective refulgentes.

2. Et entia rationis non ſunt in Categoriis.

3. Nec accidentia ſunt.

VII. *Quantitas continua, eſt rei exiſtentiam habentis menſura.*

1. Ergo nihil infinitum quantum, nec quantum infinitum.

2. Nec anima quanta, niſi per accidens: Angeli nullo modo.

3. Non ergo aut corpora aut corporea.

4. Ergo neque Angeli finiti, aut infiniti ſunt dicendi.

5. Nec Deus Opt. Max. niſi propter eſſentialem ejus omnipræſentiam, quæ non eſt per naturæ diffuſionem aut extenſionem.

6. Deum negative, non privative infinitum dicimus.

7. Nec locus eſt quantitas, niſi per accidens.

VIII. *Magnum & parvum relata ſunt, non quanta, nunc in quantitate, nunc in ſubſtantia fundata, nunc etiam in qualitate.*

Vana ergo argumentatio, Deus eſt magnus, ergo eſt corpus; vel eſt quantus.

IX. *Accidens omne ad ſubjectum refertur, a quo cognitione abſtrahi poteſt.*

1. Ergo in omni Categoria accidentium, ſunt & concreta & abſtracta.

2. Atque ad eandem Categoriam pertinent abſtracta & concreta.

3. Sic neque locus, & locatum eſſe, neque tempus. & eſſe in tempore, ſunt in diverſis prædicamentis, vt plerique volunt.

X. *Oppoſitio eſt pugna duarum, circa idem ſubjectum eodem modo ſumptum.*

1. Perperam ergo a quibuſdam, quatuor oppoſitorum generibus, addantur etiam diſparata.

2. Nulla ſubſtantia ſubſtantiæ, eſt oppoſita, differentiæ tamen ſubſtantiarum, nihil vetat, quin oppoſitæ ſentiantur, & contrariæ.

3. Vt relatio non eſt oppoſitio, ita nec relata qua talia, ſed relatis accidit oppoſitio.

4. Verum in relatis (vulgo) æquiparantiæ, nulla prorſus oppoſitio cernitur.

XI. *Ea verbi prærogativa eſt, vt pro ſua ſignificatione poſitum in enunciatione, locum nullum alium obtinere poſſit,*

possit nisi attributi.

1. Ergo verbum, si subjecti, aut copulæ solius, munus subiret, nec verbum, nec significativum esto.

2. Nec, *Est*, tertium adiacens, quicquam in enunciatione significabit, alioqui videant contrasentientes, an non sit necesse omnem enunciationem, de subjecto non existente, affirmativam, falsam esse, contra ac sentit *Aristi.*

XII. Quæ materia non sunt eadem, non sunt inter se communicabilia.

Enunciationes ergo de finito, & infinito subjecto, nunquam possunt vel idem valere, vel earum altera alteram consequi.

XIII. Quatuor illi modi de quibus solis agit Philosophus, quia soli figuram enunciationis mutant, nec attributum, nec subjectum determinant, sed tantum copulam.

1. Quare vnà cum copula, non sunt censendi attributa enunciationum modificatarum, nisi forte formalia, cum materiale attributum in dicto latent, vt per resolutionem patet.

2. Ergo nihil prohibet vere vniversales, & particulares esse in modalibus, vt in puris enunciationibus.

XIV. Communis syllogismi forma, spectatur in legitima trium terminorum, & præsertim medij cum extremis, dispositione.

Hinc oriuntur tres syllogismorum figuræ, & non plures: quartam enim non agnoscimus, ex varia autem trium terminorum combinatione, consurgunt tres propositiones, & non pauciores: Conclusionem enim syllogismi partem esse contendimus.

XV. Petitio *est demonstratio ad sensum proveniens, quæ per medium singulare, pronunciatum particulare ostenditur.*

1. Ergo non est syllogismus, absolute loquendo.

2. Et est progressus ab eodem ad idem citra petitionem tamen principii.

3. Cum ad formam ſyllogiſticam reducitur, imprimis tertiam figuram tanquam ſedem aptiſſimam, & naturæ medii ſingularis ſibi deligit.

XVI. Non tantum ſcientiæ propriè dictæ, ſed & aliæ diſciplinæ, ſua problemata confirmant, rationibus e propria rei natura ſumptis, quas analyticas Phyloſophus appellat, & logicis opponit.

1. Ergo doctrina ἀποδεικτικὴ, quamvis primo, & maxime proprie, vſum in ſcientiis tradendis habeat, in aliis tamen diſciplinis maximus ejus vſus cernitur.

2. Nec omnis legittimus ſyllogiſmus, ſi in ſtrictiore notione vocabula accipias, aut dialecticus: aut demonſtrativus erit.

XVII. In demonſtratione potiſſima, primum medio, & medium tertio per ſe ineſt.

1. In potiſſima ergo demonſtratione, affectio eſt æqualis ſubjecto, & cauſa par vtrivis.

2. Vtraq; propoſitio per ſe eſt.

3 Nulla potiſſima demonſtratio eſt a cauſa externa.

XVIII. Tum demum ſcimus, cum cauſas, propter quas res eſt, ſcimus.

Ergo tum demum quoq; ſcimus, cum ejus definitionem perfectam tenemus.

XIX. Propoſitio negativa immediata eſt, quæ nullo medio priori confirmari poteſt.

Ergo ſolæ negativæ immediatæ cenſendæ ſunt, in quibus vel genus ſummum de genere ſummo negatur, vel oppoſita differentia de oppoſita, vel deniq; oppoſitæ ſpeciei definitio, de oppoſita ſpecie aut ejus definitione.

XX. Intellectus non eſt in actu, niſi a ſpecie intelligibili, in phantaſia percepta: Hujuſmodi autem ſpecies a ſenſu eſt.

1. Ergo nemo naſcitur intelligens.

2. Nec vlla notitia in noſtra mente, quam ſenſibus

 acceptam

acceptam referre non debemus, licet quo tempore primum accepimus, vel per incogitantiam, vel per oblivionem, ignoramus.

XXI. Nulla quæstio singularis, in scientiis, aut disciplinis aliis locum habet, in quarum usum dialecticam Arist. patissimum conscripsit.

Ergo non annectitur species generi, vt multi perperàm existimant, sed prorsus omittitur, vt quæ non sit attributum quæstionis dialecticæ.

XXII. *Nulla est conditio in definitione Elenchi, quam non violant aliqua alia captiones ex aliis locis desumptæ.*

1. Frustra ergo se fatigant, qui conditionem aliquam investigant, cujus ratione proprium hunc locum constituant.

2. Eatenus duntaxat locus proprius sentiatur, quatenus eo referri debent vitia, quæ alio referri nequeunt.

THESES ETHICÆ.

L

CVjusq; felicitas est ipsius, secundum quam agit vitam, perfectio.

1. Hominis ergo non vna, sed triplex est felicitas: Naturalis, Civilis, & Supernaturalis.

2. Ac proinde tres sunt disciplinæ, quarum homo est subjectum, medicina, moralis Philosophia, & Theologia; harumque triplex finis: primus est sanitas corporis, ad naturæ, reliquaque quæ corpore fiunt, officia obeunda, sufficiens: Secundus est animi aptitudo, ad civiles actiones idonea: Tertius totius hominis, cum natura divina, conformitas, divinæ consociationis hominem capacem reddens: Hi aliis tribus subordinantur, qui sunt agere secundum virtutem supernaturalem seu divinam.

quam

quam majeſtatis divinæ ineffabilis fruitio inſequitur.

II. *Ex hiſce tribus, ſolam mediam Ariſt. in Ethicis ſibi conſiderandam propoſuit; quia primam medicis, ut eorum propriam, ſpectandam reliquit, tertiam ut penitus ignoratam non attigit.*

1. Quamobrem vt qui felicitatem Ariſtotelicam, cum Theologia optimè conſentire affirmant, ita ſi qui eandem eſſe putant, toto (quod aiunt) Cœlo diſtant.

2. Hinc liquet eos operam ludere, qui è principiis Theologicis Ariſtotelis doctrinam oppugnare conantur.

III. *Idem eſt totius civitatis & cujuſq; hominis bonum.*

Ergo Ethica & Politica non ſunt diverſæ diſciplinæ, ſed ejuſdem partes, è quibus potior eſt Ethica, quippe quæ alterius fundamenta & cauſas complectitur.

IV. *Honor eſt præmium virtutis, ſtudio, judicioque recte de virtute judicantium, ad aliquem delatum, ut ejus virtus emineat, & exemplo alij ad virtutem incitentur.*

1. Ergo etſi honor non ſit ſummum bonum, eſt tamen excelſo, & bene affecto animo imprimis expetendus.

2. Multo tamen majore ſtudio bonorum civium in bene meritos cives conferendus.

3. Nec malo, nec puero, honor haberi debet.

4. Nec qui à malis, nec qui ab imperitis habetur, honor eſt.

V. *Felicitas hominis à virtute eſt, & in εὐπραξία poſita, hominis naturæ conſentaneæ, quam ſequitur ſincera animi voluptas.*

Ergo omnium Philoſophorum de felicitate veræ ſunt ſententiæ ſano modo intellectæ.

VI. *Quid abſurdius quam hominem, cui natura nihil ad humanam perfectionem negavit, non poſſe ad ſummum homini propoſitum bonum pervenire?*

1. Abſurdum ergo abſque claris parentibus, liberis, opibus, neminem poſſe eſſe felicem, fuerit affirmare.

2. Nimiumque vulgo aſſentantur, qui dicunt vllas tantas eſſe calamitates, quæ poſſunt felicem de ſtatu ſuo deturbare, dummodo ſibi animo conſtet.

VII. *Affectus, quos perturbationes Stoicis appellare libuit, materia ſunt virtutum; hi autem diverſi intenſiores & remiſſiores, ſecundum diverſam humorum temperiem, exiſtunt.*

1. Nemo ergo dubitabit alios, ad alias virtutes, & vitia natura procliviores eſſe, aliaſque in aliis magis illuſtres eſſe, temperaturæ ſuæ ſingulari quodam beneficio, quis negaverit.

2. Præterea in nullo vno omnes magis poſſe eminere, quam eandem terram omnia pari vbertate producere certiſſimum eſt.

3. Necnon virtutum naturam in individuo poſitam non eſſe, ſed eſſentiæ ſuæ latitudinem habere, ſi non in Idæa, tamen vt ab homine participantur, luce clarius eſt.

4. Hinc etiam patet eos maximis laudibus dignos, qui peſſimæ indolis cum eſſent, boni tamen evaſerunt, licet multis aliis ſint inferiores.

VIII. *Perfecta virtus moralis eſſe non poteſt abſq; perfecta prudentia: Nec hæc abſq; illa.*

Ergo vinculo prudentiæ omnes virtutes morales ita colligatæ ſunt, vt nulla vna abſque reliquis exiſtere poſſit, nec reliquæ abſque vna.

IX. *Heroica virtus eſt ſplendor, & fulgor quidam excellens moralium virtutum, ex eminente amore & vehementi deſiderio honeſti, & ſummi boni ortus, hominemque ſupra humanam conditionem attollens.*

1. Quamobrem non niſi in præclaris animis locum habet, & humanis altiora ſperantibus: Neque ejus per animi mollitiem, fæminæ facile capaces eſſe poſſunt.

2. Nec qui per impatientiam, ſibi mortem conſciverunt, hujus virtutis titulo honeſtandi ſunt, præſertim cum hujuſmodi feritas ab animi mollitie proficiſcatur.

THESES PHYSICAE

I.

QVjuſque ſcientiæ principium primum eſt ſubjecti definitio, quæ primum etiam locum in ſcientia quaq; poſtulat.

1. Eſt ergo ſecundus Phyſicæ auſcultationis liber, naturalis ſcientiæ primus.

2. Et auſcultationis primus ad definitionem corporis naturalis facilius intelligendam, de Metaphyſica mutuo acceptus.

3. Quare nec neceſſe fuit alia ibi, quam generabilis corporis principia explicari.

II. *Materia prima abſolute, & in prima notione conſiderata, eſt eſſentia quædam, quæ poteſt quodlibet corpus naturale caducum eſſe: Eſtque ſubjectum unum generationis.*

1. Ergo eſt ens actu, non aliunde, hoc ipſum quod eſt, per ſe conſiderata, habens.

2. Potentia non eſt in eſſentia materiæ, vt in ſe conſideratur.

3. Nec propterea inficiamur materiam primam eſſe in pura potentia, ſi cum generibus entis conferatur.

4. Et recte appellavit *Plato* materiam locum ſeu receptaculum formarum.

III. *Materia nunquam eſt formâ deſtituta.*

1. Ergo appetitus materiæ nihil aliud eſt, quam potentia, & aptitudo ad ſequentem formam accipiendam, repudiata præſente.

2. Nec eſt appetitus proprie dictus, qui eſt ab egeſtate aliqua.

IV. *Generatio eſt mutatio naturalis.*

1. Ergo privatio eſt natura.

2. Privatio non tam eſt abſentia formæ ſubſequentis, quam præſentia formæ præcedentis, non quidem qua forma eſt, ſed qua materiam præparat ad formam ſubſequentem accipiendam.

V. *Ex agentibus naturalibus, cum ea quæ æquivoce agunt, tum mixta inanimata nullo modo ſui ſimilia generant: Animata vero nihil aliud per ſuam formam agunt, quam materiam præparant, ad formam accipiendam.*

Formæ ergo omnes aut cælitùs ſunt, aut præſtantiorem, quam eſt generans naturale, aut materia, cauſam habent, quæ ſe ad formæ productionem pure paſſive habet.

VI. *Locus vt ab Ariſtotele definitur, eſt motus terminus, corporis naturalis ambientis, ſuperficies immobilis prima.*

1. Ergo Cœlo neque ſecundum totum, neque ſecundum partes convenit.

2. Et in tractandis affectionibus corporis naturalis in genere, Philoſophus præcipue reſpexit corpus ſublunare, ſeu corruptibile.

VII. *Omne corpus naturale certo alicui muneri deſtinatum eſt, cui certa magnitudo (licet cum latitudine aliqua) neceſſaria eſt; quam vltra citrave, nec ſubſiſtere, nec munus obire poteſt.*

1. Ergo in naturalibus datur maximum & minimum.

2. Nec vllum corpus naturale in infinitum aut dividi, aut augeri poteſt.

VIII. Quæ per diſiunctionem contrariorum, affectiones, alicui generi conveniunt, earum vtra, de illius generis ſpeciebus ſeorſim dicitur.

Ergo eſſe finitum vel infinitum, non eſt affectio corporis naturalis.

IX. Infinitæ potentiæ præſcribere, extremæ eſt arrogantiæ.

1. Quare vt vnum tantum eſſe mundum facile credimus.

mus, non tam rationibus Ariſt. quam veritate divina adducti; Ita Deum plures creare non potuiſſe, conſtanter negamus.

2. Quemadmodum & hunc infinitis gradibus perfectiorem potuiſſe, ne forte Deum alium creaſſet.

3. Verum tantam eſſe mundi perfectionem affirmamus, vt neq; humanæ, neq; angelicæ mentes eam comprehendere poſſint, neduum vt illam effecerint, quod putat Plato.

X. Orbibus cœleſtibus ſuus eſt motus proprius, ſuaſitem qualitates propriæ.

Ergo orbes cœleſtes ſpecie ſaltem a ſe invicem differunt, vt non ſint tantum quinq;, ſed longe plura corpora ſimplicia.

XI. Elementa ſunt corpora naturalia.

1. Ergo habent in ſe ſui motus principium.

2. Cum negat Ariſt. a ſe moveri, de movente primo, intelligere oportet, cujus actio non ab alio pendet.

XII. Corpora perſpicua non repercutiunt lumen, nec luminis tranſitum prohibent.

1, Non ſunt ergo aſtra perſpicua.

2. Non tantum denſitate a ſuis orbibus differunt, ſed opaci corporis admiſtionem habere videntur, cum alio & alio colore lumen repercutiant.

3. Nec a ſe lumen habere, contra omnium conſenſum, putandum eſt.

XIII. Omne grave tendit ad centrum per perpendiculum.

1. Ergo terra eſt in medio vniverſi ſita.

2. Ergo muri ad perpendiculum exſtructi non poſſunt eſſe æquidiſtantes.

3. Area ad libellam directa non eſt plana;

XIV. A terra in altum provehentibus, quæ in terra ſunt, ſenſim ſubſidunt; Et ad littus accedentibus, eadem ratione, attolluntur.

1. Ergo aquæ ſuperficies non eſt altior quam terræ.
2. Ergo aquæ, & terræ ſuperficies vna eſt.
3. Ergo aquæ ſuperficies eſt globoſæ figuræ.
4. Aqua in vaſis cumulatur, & quo depreſſiori eſt in loco vas, eo major eſt cumulus.

XV. Materia non poteſt exiſtere ſine forma aliqua ſpecifica, qua cum alia in eodem ſubjecto ſimul eſſe nequit.

1. Ergo vnius corruptionem, alterius generationem eſſe, neceſſe eſt.
2. Et generationem, & corruptionem, re & numero eandem eſſe geniti & corrupti.
3. Et generationem, & corruptionem ſibi cohærere perpetuo.
4. Et materiam primam, cauſam proximam eſſe, cur generari, & corrumpi poſſit corpus naturale.

XVI. Omnibus partibus homogeneis corporis cujuſque animantis, ſua propria eſt forma.

1. Ergo eidem corpori, plures formæ ineſſe poſſunt.
2. Nullum cadaver vnum corpus eſt.
3. Animantis interitu, nulla nova forma acquiritur.
4. Et non tantum membra, ſed & ſimilares partes, organicæ appellari poſſunt.
5. Multa accidentia, eadem in genito eſſe poſſunt, quæ erant in corrupto.

XVII. Accretio eſt totius corporis, ad majorem, & naturæ convenientem magnitudinem, mutatio, per ſingularum partium extenſionem, ex nova materiæ acceſſione, per proprias ſingularum partium formas, interveniente proprio cujuſq; partis calore, facta.

Ergo accretio eſt animantium propria, ad quam conſtituendam, tres omnino mutationes concurrunt; generatio novæ ſubſtantiæ, motus localis duplex; primus, alimenti ad ſingulas partes; ſecundus, ſingularum partium ad majorem molem extenſio; tertia, alimenti alteratio.

XVIII. Maria a ſole remotiſſima, e quibus nullus fere vapor evocatur, non minus ſalſa ſunt, quam ea quæ ſunt ſub Æquinoctiali.

Vanæ ſunt, quæ ab *Ariſtotele* afferuntur, cauſæ ſalſedinis maris.

XIX. Cujuſq; corporis naturalis unus eſt actus.

Quamvis ergo vegitatio, ſenſus, & ratio, in diverſis viventium gradibus, totidem animas, ſpecie diverſas conſtituant; in uno tamen unius ſunt facultates, quarum prior in poſteriori ſemper continetur, vt triangulum in quadrangulo. Alioq; (vt ait Scaliger) homo non eſſet unus, ſed ter geminus Gerion, triplexque Chimæra, aut ſi quid aliud trinum ab Auſonio obſervatum eſt. Exercit. 307 Sect. 5.

XX. Senſuum organa objecti ſpeciem ſæpe recipiunt, abſque ulla ſenſione.

Vt ergo ſenſus actu ſit, non tantum patitur organum, ſed & anima ſenſitiva judicat, vt ſentire non ſit ſolum pati, ſed & judicando agere.

XXI. Odor eſt halitus calidus, & ſiccus, è corporibus exſpirans, qui cum aere ambiente ſe permiſcens, ad organum olfactus defertur.

Ergo odor, quanquam per ſpeciem in organum ſuſcipitur, realiter tamen per medium defertur, & non per ſpeciem, vt color.

XXII. Abſque uſu ventriculi quondam ſubſtitimus.

1. Quare ergo abſque uſu alimenti, aliquando ſubſiſtere non poſſumus.

2. Nec video cur ſimiliter anima noſtra, Cœleſti amicta gloria, & omni imperfectione exuta, abſque phantaſia intelligere nequeat, quanquam modo jam nobis incognito.

3. Immo & hoc neceſſe, quia Deum, quem perfecte intelligemus, nulla in phantaſia ſpecies, repræſentare poteſt.

THESES SPHAERICAE.

MVndi Sphæra corpus eſt ſingulare.

1. Eam ergo cognoſcere non poſſumus, niſi ſub aliquem ſenſum cadat.

2. Ergo ad ejus cognitionem, cum totum ſub nullum ſenſum cadere poſſit, opus eſt ſphæra exemplari, quæ è varia materia, ex hominum arbitrio compacta, totum noſtris oculis in figura ſubjiciat.

3. Hinc ſequitur doctrinæ ſphæricæ ſubjectum non eſſe ſphæram exemplarem, quam materialem vulgo appellant, ſed mundi ſphæram, quanquam eorum, quæ dicuntur, plurima, propter ſigni & ſignati cohæſionem, ſphæræ exemplari primo competant.

II. Circulos in ſphæra mundi intelligere oportet, quorum circumferentiæ tantum, in ſphæra exemplari ponuntur.

Ergo non proprie loquuntur, qui dicunt ſolem moveri ſub Zodiaco, aut ejus ecliptica, cum ſemper, vt loquuntur, in ejus plano feratur, quod a circulo non eſt diverſum.

III. Qui ſunt ſupra ſphæram planetæ, propter immenſam à terra diſtantiam, aſpectus diverſitatem non ſortiuntur: Sol, Venus, Mercurius, *æquales motus, ſeu periodos habent, nec omnes planetæ patiuntur Eclypſin.*

Ergo nondum inventa vna aliqua ratio, qua ordo omnium planetarum demonſtretur.

IV. Quanto a polo recedis, tanto propius ad æquinoctialem accedis, & contra.

1. Ergo quæ eſt diſtantia puncti verticalis ab æquinoctiali, eadem eſt & elevatio poli, & latitudo regionis.

2. Ergo ſubducta ſolis meridiani altitudine, per æquatorem decurrentis, a Cœli quadrante, invenitur poli altitudo, & regionis quam habitas, latitudo.

3. Quod ſi alio quovs i die eandem inveſtigare libet,

bet, hac ratione invenies; Sole existente in signis botealibus, ejus declinationem ab altitudine meridiana subduc, si in australibus, eidem adde; vt de distantia puncti verticalis ab Æquinoctiali constet.

V. Singulis horis Æquinoctialibus, Æquinoctialis quindecem gradus exiguo plus minus ascendunt & occidunt.

Ergo qui eadem ab Æquinoctiali distantia habitant, quot quindenis gradibus longitudinis a seinvicem distant, totidem horis eorum Meridies a se invicem distabunt, iiq; omnes eandem diei artificialis longitudinem habent.

VI. Ecliptica & Horizon se mutuo dividunt in partes aquales.

1. Ergo puncto quolibet Eclipticæ ascendente, ei oppositus descendit.

2. Hinc sequitur tam in sphæra recta, quam obliqua, descensionem cuiuslibet signi esse æqualem ascensioni signi oppositi.

3. Et ascensionem & descensionem cujusuis signi simul junctas esse æquales ascensioni & descensioni signi oppositi simul junctis.

4. Et quæ oriuntur recte, descendere obliq; & contra.

VII. Vbiq; terrarum eadem est diei æstivi longitudo, & noctis hiberna sibi oppositæ, & quod alibi est nox, idem tempus alibi est dies.

1. Ergo mirabili æqualitate divina providentia lucem & tenebras dispensavit, vt nullus totius orbis locus sit, qui lumine Solis, vel ad horæ minutum, diutius quam alius quivis fruatur.

2. Hinc etiam sequitur non minus inepte quæri, quis Deus noctu, quis interdiu fecerit? quam vere ne, an autumno mundum creaverit? cum vt semper est & nox & dies, sic quod nobis est ver, adversum hemisphærium habitantibus sit autumnus: sed qui hoc primum interrogarunt, Antipodas esse ignorabant.

FINIS.